

solvere decimam ipsam solvissent, sicut facere tenebantur, donec terra¹⁾ erat in bono statu, melius fecissent quam expectassent. Quia de ipsa ipsos ulterius sustinere nequimus, et si inde sequerentur dampna, non esset negligentia nostra, set ipsorum culpa. Quare vobis praecipiendo mandamus, quatenus ad exigendum decimam ab illis, qui eam solvere tenentur, debeatis superesse totis viribus incessanter²⁾ compellentes eos ecclesiasticam per censuram, ut solvant, et eam, quam exigere poteritis et iam collegistis, bene custodire curetis, procurantes omnimodo dictam decimam collectam et colligendam quam citius mittere apud Madeburg penes fratres praedicatores, et hoc de scitu³⁾ archiepiscopi Magdeburgensis et collectorum civitatis et diocesis Magdeburgensis. Super iis vero qui excommunicati sunt . . . , quia decimam non solverunt, sicut nobis mandastis vobis committimus, ut possitis ipsos ligatos facta prius solutione absolvere, sicut videbitis plenius in litteris dictae comissionis, quas vobis mandamus, contineri. Miramur et etiam, quod illas triginta marcas, quas nobis mandare debebatis, non mandastis. Unde vobis mandamus, quatenus eas nobis Nam iterum cogimur amirari, quod quantitatem decimae curastis aliquatenus nobis declarat . . . silicet de illa, quod praeterito ipsi collegistis. Item sciatis, quod nuntius quidam, quem dicitis ad vos venisse, ad vos transmiseramus, et erat noster nuntius specialis. Nec miremini de sigillo, quia antiquum amiseramus et utebamur tunc et utimur alio novo sigillo, quod fieri fecimus sub alia pressura, quod in rei testimonium duximus praesentibus adponendum. Sciatis igitur, quod dominus papa eam habere ipsam decimam voluerit, secundum quod in taxationibus continetur, secundum quod fuit inquisitum per . . . magistrum Rodulfum. Datum Pondrelur . . . anno domini M° CC LXXX quinto.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv, in Briefform; das von aussen aufgedrückt gewesene Siegel ist verschwunden.

1) terrae Orig. 2) incessanter Orig. 3) situ Orig.

No. 269. 1286. 1. Febr.

Probst Bernhard und das Capitel entlassen Martin und Hermann Brüder von Canyn und die Söhne ihres Bruders Johann, Martin, Hermann und Peter von Pitsuciz mit ihren directen Nachkommen gegen Zahlung von 10 Mark S. aus dem Abhängigkeitsverhältniss der gasti.

Bernardus praepositus et Siffridus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum universis et singulis praesentem paginam intuentibus salutem. Omnium habere memoriam et in nullo dubitare divinitatis cuiusdam potius quam humanitatis existit, et ideo ne ea quae in tempore geruntur lapsu temporis oblivioni tradantur, solent scripti testimonio perennari. Cum Martinus de Canyn et Hermanus frater eius et filii Johannis fratris praedictorum, videlicet Martinus, Hermannus et Petrus dicti de Pitsuciz in nostra provincia constituti recognovissent [se] et cognatos suos esse servi, qui vulgariter gastii nuncupantur ecclesiae et capituli nostri, assumpto nobili viro domino Meinhero burggravio Misnensi ac aliis amicis suis instanter petiverunt, ut recepta certa summa pecuniae eos e servitute emanciparemus et cum parvulis suis linea recta descendantibus